

quid ad fallendum , perdendumque Achab meditaretur , Satana exponente , iussoque cito egredi , arque quod proponerat perficere. Itaque nihil obest , quominus horti voluptatis a Mose data descrip-  
tio vere historica sit , tametsi Dei in horto illo deambulatio spiritualem dumtaxat patiatur interpretationem.

Tertium soluit S. Thomas (9) his verbis : „lignum vitae est quae-  
dam materialis arbor sic dicta , quia virtutem habebat conseruandi vi-  
tam , sicut supra dictum est (10). Et tamen aliquid spirituale significa-  
bat ; sicut et petra in deserto fuit aliquid materiale , et tamen significa-  
uit Christum. Similiter etiam lignum scientiae boni et mali materialis ar-  
bor fuit , sic nominata proprie etenunt futurum , qui post eius esum  
„homo per experimentum poenae didicit , quid interesset inter obe-  
dientiae bonum , et inobedientiae malum , et tamen spiritualiter po-  
nuit liberum arbitrium significare , vt quidam dicunt.« Responsio-  
nem istam desumpsit S. Thomas ex certissima , rectissimaque Au-  
gustini , quae et Catholice Ecclesiae est , regula in libris de Ciuitate  
Dei expressa (11) : „quae commode , inquit , dici possunt de  
„intelligendo spiritualiter paradiso , nullo prohibente , dicantur , dum  
„tamen et illius historiae fidelissima veritas rerum gestarum narra-  
„tione commendata credatur. « Iuxta quam regulam prosequitur : „ne-  
„mo itaque prohibet paradisum intelligere vitam Beatorum , qua-  
„tuor eius flumina quatuor virtutes , prudentiam , fortitudinem , tem-  
„perantiam atque iustitiam , ligna eius omnes viles disciplinas , li-  
„gnorum fructus mores piorum , lignum vitae ipsam bonorum om-  
„nium matrem sapientiam , lignum scientiae boni et mali transgres-  
„si mandati experimentum. Possunt haec etiam in Ecclesia intelli-  
„gi , vt ea melius accipiamus tamquam prophethica indica praece-  
„denta futurorum , paradisum scilicet , Ecclesiam ipsam , sicut le-  
„gitur Cant. iii. quatuor flumina Paradisi quatuor Euangelia , ligna  
„fructifera Sanctos , fructus autem eorum bona opera , lignum vi-  
„tae Sanctum Sanctorum , utique Christum , lignum scientiae boni  
„et mali proprium voluntatis arbitrium.« Haec Augustinus.

In ultimo soliendo non est cur immoremur. Quod enim super-  
riori capite dicebamus , diuinae nempe Providentiae deputandum es-  
se , Paradisum usque in hodiernum diem ignotum omnibus esse , et

pro

(9) Prima Parte , quæst. cii. art. i.  
ad 4.

art. 4.

(10) Prima Parte , quæst. xvii.

(11) Lib. xiii. cap. 21.

pro Geographis quibuscumque , vel oculatissimis dictum volumus.

Verum quam praepostore hinc Origenes concludit , non alterius  
naturae Paradisum hunc fuisse , quam illum de quo Lucas et Paul-  
lus loquuntur ! Ergo Agar et Sara numquam vere exiterunt , nec  
vere nupserrunt Abrahac , quoniam Paulus idem ad Galatas scribens  
cap. iv. has duas foeminas , duo fuisse testamenta ait , vetus et no-  
num , Synagogam et Ecclesiam ; Ergo Sina quoque , et Sion ma-  
teriales non fuere montes ; neque Isaac et Ismael ab Abrahamo re-  
ipsa geniti ; quoniam Apostolus itidem scribit , haec esse per allego-  
riam dicta , et duo testamenta esse ? Concludat hoc pacto oportet  
contra ipsam rerum gestarum veritatem. Sed piger iam in hoc com-  
mento Origeniano refellendo diutius immorari.

### CAP V T XIII.

*Agitur de mandato primo homini a Deo posito. Transgressionis  
causa et peccatum declarantur.*

Mandatum primo homini latum de non comedendo  
fructu designatae arboris aquissimum fuit.

Vero ac naturali serpente vt instrumento vsus Diabo-  
lus fuit , vt mulierem adloqueretur , primum pec-  
catum suadens.

Fuere in protoparentum culpa deformitates plurimae:  
prima tamen ceterarumque radix superbia.

A<sup>c</sup> harum propositionum prima non aliam probationem desiderare  
posse videtur , quam nudam rei gestae , eisdem quibus a Mose de-  
scripta est verbis , narrationem. Quandoquidem Deus iustus est , qui  
legem tulit , mandatumque de fructu non comedendo posuit. Sed va-  
rias Patres adsignant causas , quibus praecepti lati aequitas plenus  
dignoscatur. Presse eas adtingere haud erit inofficiosum. Theophili-  
lus Antiochenus (1) caussam his verbis adfert : „nihil enim in ve-  
nitio illo fructu fuisse referit praeter cognitionem. Esse vero cogni-  
tio-

(1) In it. ad Antolycum.

„tionem bonam quum ea, vt par est, vtitur aliquis. Porro per id tempus Adamum adhuc infantem fuisse, et idcirco ad illam cognitionem capiendam minus idoneum. Nam et parvulus, cum primum natus est, nondum pane vesci potest; sed prius lacte alit; deinde progressu aetatis ad solidiorem cibum peruenit. Huiusmodi ergo quiddam Adamo contigisset. Non abhorret ab hac sententia Procopius (2), Numerius (3), et Ioannes Damascenus (4). Quae tamen sentiendi ratio minus fortasse aliis probatur. Verosimilium quidam opinantur, meriti, ac virtutis a Deo primis parentibus suppeditatam hoc mandato fuisse materiam, obedientiae potissimum. Tertullianus autem legem datam adserit, vt probe iusteque homo viueret, dum ait (5): „igitur viuere quidem ille ipse praestiterat factio in animam viuam: recte vero viuere demandarat admonto in legis obsequium.“ Cui et Didymus Alexandrinus (6), et Gregorius Nazianenus assentientur (7).

At Cyrilus Alexandrinus docet, non alium tradendae legis fuisse scopum, quam vt se alteri obnoxium homo agnosceret (8). Quod Basilius Seleuciensis sic acute edisserit (9): „vt cum prohibentem intelligentiam, largitorum vna noueris; atque vniuersi substractio, eius tibi recordationem suggerat, a quo omnia.“ Verum Augustinus solius obedientiae gratia mandatum illud Adamo datum sexcentis in locis tradit (10). Nusquam tamen expressius quam in Psalmos scribens (11). Ait enim: „bona est arbor, nolo tangas. Quare? Quia dominus sum, et seruus es. Haec tota caussa est. Si parua est, dignaris esse seruus. Quid autem tibi expediri, nisi esse sub dominio? Quomodo eris sub domino nisi fueris sub praecepto?“

Hacc de caussa praecepti nos docent Patres, ex quibus hoc argumentum exurgit. Quaecunque tandem ea sit, ex his quae adductae sunt a Paribus, mandati istius caussa, iuri acquitatis congruit illa vel maxime: congruat ergo et praeceptum caussae subinxum opus est.

Nec est quod reponat aliquis; cur scilicet, Deus legem eiusmodi Adamo tulerit, quam cum minime seruaturum sciebat, seu quod idem

(2) Comment. in hunc locum.

(1) Cap. 1.

(4) Lib. II. cap. 11.

(5) Lib. II. contr. Marc. cap. 8.

(6) In lib. contr. Manich.

(7) Orat. xxxviii.

(8) Lib. I. de ador. in Spirit.

(9) Orat. II. de Adamo.

(10) Potissimum lib. VIII. de Gen. II. de peccat. merit. cert.

(11) In Psalm. LXX.

idem est, vt Manichaei proponabant, cur Deus hominem fecit, quem peccatorem sciebat? Nam vt Augustinus responderet: „quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen iustitiae, et quia nihil oberat Deo peccatum eius, et siue non peccaret, mors nulla esset, siue quia peccauit, alii mortales de peccato suo corriguntur. Nihil enim sic reuocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.“ Ita in libro supra Genesim (12).

Neque verum tener, quod alii opponunt, videlicet, esse legem nimium rigidam adeo minimae transgressioni poenam innumerabilium calamitatum addicere. Culpa siquidem protoparentum, non leuis illa quidem, et minima, sed grauissima fuit, potissimum ob tria haec: quia facilissimum erat in illa naturae inregitate, et maxima ciborum copia ab arbore vna ob Dei praeceptum abstinere. Quia explicari satis nequit quantum malum sit non obedire summae potestatis imperio, vbi praecepit maxima poena inobedientiae proponitur, ac res imperata facilis nimium est. Quia tandem in lege illa primordiali a Deo lata posterioris legis praecepta omnia continebantur. Piores cauassas adsignat Augustinus (13); postremam Tertullianus (14).

Secundam vero adscriptionem, quae Diabolum primi peccati autorem, suasorem, intentoremque dicit, principio suadent, et efficacissime quidem, quae de ipso Diabolo Christus ait Ioann. VIII: ille, inquit, homicida erat ab initio . . . mendax est, et pater eius, nempe mendacii. Qui enim diabolum ab initio homicidam, mendacemque intelligere possumus, nisi quia in ipso mundi exordio protoparentes mendacio suo feffellit, totumque humanum genus sua fraude in mortem induxit? Deinde probant id ipsum illa Apocalipsis verba cap. XII. adducta: „et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanás, qui seducit vniuersum orbem.“ Vnde enim dictus ille serpens antiquus qui orbem vniuersum seducit, nisi quod serpente, ceu instrumento vsus est, vt primam mulierum deciperet, fraudemque luctuosissimam vniuerso humano generi faceret? Quapropter et Sapientiac libri auctor cap. II. de illo iam pridem dixerat, inuidia diaboli mors intravit in orbem

(11) Contr. Manich. cap. 28.

(13) De Gen. ad litt. cap. 13. et 11. de peccat. merit. cap. 5. Item

de Ciuit. Dei xiv. cap. 15.

(14) In lib. adu. Iudeos cap. 2.

bem terrarum. Scripturis igitur adtestantibus diabolus in serpente delituit.

Quoniam vero ii, quibus haec veritas demonstranda est, non omnes forte Scripturarum auctoritati, noui porissimum foederis acquiescent, ratione insuper coarguuntur. Fateant enim ipsi oportet, animal ratione carens mulierem adloqui, cum ea disserrere, eandemque ad transgressionem inducere non potuisse. Quid ergo inde? »Loquutus est serpens mulieri (scribit Augustinus) (15) sicut asina, in qua sedebat Balaam, loqua est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum: unde serpens non est interrogatus, cur hoc fecerit, quia non in sua natura ipse hoc fecerat, sed diabolus in illo, qui iam ex peccato suo igni destinates fuerat sempiterno. Et ante haec eodem lib. (16). »Non itaque serpens verborum sonum intelligebat, qui ex illo siebant ad mulierem. Neque enim conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum demon in eis loquitur ex passione, cui exorcista requiritur, sciunt quid loquantur.«

Qui insuper prophanae et Ecclesiasticae histotiae non omnino rudes sunt, probe notunt, quo tempore idololatria vigebat, Dœmenes vel per animalia, vel per arbores, vel per simulacra oraculis fraudulentis miserios sui cultores fecellisse, et in errore firmasse. Ergo ratione historis comprobata cuincidunt, diabolum serpentem vsum mulierem decepisse.

At probant haec eadem argumenta, fuisse serpentem illum verum ac naturale, vt cuique obuium est. Quo tandem vera ex integro propositio euadit, vel hoc uno argumento ex adducitis conflato: serpens ordinatum, quam ad Euam habuit, loquionem intelligere non poterat, quem solius rationalis naturae hoc proprium sit: ergo colloquio illud naturaliter serpens non potuit habere, quem illis solum expeditum, ordinatusque loquendi vsum natura tribuerit, quibus et naturalem tribuit sententiae verborum intelligentiam: at serpens vere dicitur ad mulierem loquutus: instrumentum igitur malii doemonis ille fuit, eius natura imanuata, quo et ad mulierem verba dixit, eamque seduxit, vt legem transgrederetur.

Fuisse insuper in transgressione ista deformitates bene multas, eamque omnium radicem fuisse superbiam tertia propositio firmat.

Et

(15) Lib. xi. de Gen. ad litt. cap. 28.

(16) Cap. xviii.

Et primum quidem Patres affirmant, subscribuntque Theologi: nec dubitabit vilus, qui mosaicam narrationem diligenter expenderit. Itaque, vt ex ea colligitur, male principio Eua prauis serpentis suasionibus adhibuit fidem, interdixisse scilicet, eis Deum ligni esum ne ad diuinam similitudinem peruenirent, tamquam hoc tantum bonum, (ait Augustinus) creaturae suea creator inuidenter: secundo escam appetiuit intemperanter: tertio morigeram se Deo praebere noluit, cuius interdicto posthabito, fructum vetitum carpsit, et comedit: quarto virum in criminis sui communionem induxit: demum a Deo obiurgata tantum abfuit ab agnoscendo, confitendoque crimen admissum, vt potius illud serpenti auctori, ac suasori adtribuerit: quare a Theologis infidelitatis, inobedientiae, gulæ, scandali ac pertinacia rea Eua defenditur. Adam autem ab ipsa his omnibus sceleribus inquinatus, peccauit insuper inordinato; nimioque in vxorem amore, quam ne tristitia afficeret, diuinam et ipse iussionem despexit; eo muliere ipsa iniquior, quo in dignoscendis diaboli seductoris fallaciis sapientior, et ad easdem repellendas fortior.

Haec quidem Theologis omnibus constituta, fixaque sunt: incertum tamen controuersumque, quodnam Adam atque Euae primum peccatum fuerit, ceterorumque velut radix et origo. Opinantur Scotti Discipuli, primum mulieris peccatum in superbia positum fuisse; non ita Adae, sed inordinato mulieris amore hunc peccasse adsecurant, hocque primum illius peccatum fuisse. Nos vero Sanctissimorum DD. Augustini, et Thomae vestigia prementes dicimus, vtrumque, et hominem scilicet, et mulierem animi elatione peccasse. Et hanc quidem sententiam demonstrare Scripturis contendimus. Etenim Proverb. xvi. legimus: contritionem praecedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus. Et Eccl. x: initium superbiae hominis apostatare a Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia.

Augustinus autem sic ratiocinatur (17): »in occulto . . . mali esse cooperunt, vt in apertam inobedientiam laborentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi praecessisset mala voluntas: porro; malae voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia nisi peruersae cupiditatis appetitus?« Itaque ex Augustini verbis

Tom. II.

Dd

sic

(17) Lib. xiv. de Civit. Dei cap. 13.

sic transgressio , et casus accidere. Serpens primo mulerem intertrahit ; deinde longe ab ea timoreu semouit ; posthac ligni esum suggestis , et diuinitatem sumمامque scientiam promisit : tunc mulier Dei similitudinem appetere , mentisque elatione coepit superbire , a bono incomparabili exinde auerti , in poenam presumptionis decipi , suadenti fidem praebere , vetitum fructum comedere , marito etiam exhibere. Adam praeterea ab Eua certior factus diabolicas suggestiones , appetit et ipse diuinitatem , et sapientiam inordinate , nolens que mulierem contrastare , quamvis forte Satanae missis non fideret , fructum ab Eua exhibitum comedere , deceptus magis vxoris benevolentia , quam serpantis fraude , et machinamentis. Nec tamen hinc subinfrerit licet , primum Adami peccatum amore in Euam inordinate , fuisse constitutum. Etenim ut loquitur Augustinus (18) : « si voluntas in amore superioris immutabilis boni , a quo illustrabatur ut videret , et accendebatur ut amaret , stabilis permaneret ; non inde ad sibi placendum auerteretur , et ex hoc tenebresceret , et frigesceret , ut vel illa verum crederet dixisse serpentem , vel ille Dei mandato vxoris praeponeret voluntatem , putaretque , se venialiter transgressor esse precepti , si vitae suae sociam non desereret etiam in sociate peccati. »

Augustino consonat S. Thomas (19) vbi ait : « sed contra est , quod dicitur Eccle. x : initium omnis peccati superbia : sed peccatum primi hominis est initium omnis peccati , secundum illud Rom. v : per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit : ergo primum peccatum hominis fuit superbia. » Deinde sic argumentatur ad id amplius roborandum. « Ad unum peccatum multum concurrent possunt ; inter quos ille habet rationem primi peccati , in quo primo inordinatio invenitur. Manifestum est autem , quod primo invenitur inordinatio in motu interiori animae , quam in acu exteriori corporis : quia ut Augustinus dicit in l. de Cœnit. Dei : non amittitur corporis sanctitas , manente animae sanctitate. Inter motus autem interiores prius mouetur appetitus in finem , quam in id quod queritur propter finem : et ideo ibi fuit primum peccatum hominis , vbi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in statu innocentiae institutus ut nulla esset rebellio carnis ad splifitum. Vnde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appetierit aliquod

» sens-

(18) Vbi supra.

(19) Secunda Secundae, quæst. CLXIII. art. 1,

» sensibile bonum , in quod carnis concupiscentia tendit praeter ordinem rationis. Relinquitur igitur quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc quod aliquod bonum spirituale inordinate appetiuit. Non autem inordinate appetiuit , appetendo id secundum suam mensuram ex diuina regula praestitutam. Vnde relinquitur quod primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetiuit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram , quod pertinet ad superbiam. Vnde manifestum est , quod primum peccatum primi hominis fuit superbia. » Haec S. Thomas ; quae sane adeo solida sunt ut consensum extorquentur.

Atqui sunt nonnulla , quae hanc S. Thomae rationem , reliqua etiam quibus haec fuit subnixa adsertio , infringere videntur. Nam Patrum nonnulli docent , Euanam nimis sibi de suis perfectionibus placuisse , seque intemperanter amasse. Similiter Adamus ipse nimio vxoris stœ amorem se peccasse , haud obscure declarauit verbis illis Genesios iii : mulier , aliena , quam dedisti mihi sociam , dedit mihi de ligno , et comedi. Idem et confirmasse videtur Deus in Adamum sententiam ferens , dicentes : quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti , cet. Nec hoc contradicit Augustinus , imo testatur scribens , Adamum foeminae sociali necessitudine paruisse , et amicabili quādā benevolentia noluisse Euam contristare. Dēnde : Apostolus primi hominis peccatum , quod in omnes posteros transit , aperte aliud a superbia dicit , dum ad Rom. v. scribit : per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : quae autem inobedientiae cum superbia connexio ? Rursum : Adamum suadente diabolo peccasse exploratum est : at exploratum similiter , diaboli suasionem non fuisse aliam , quam boni malique scientiam promittere , dicendo : eritis sicut dei , scientes bonum et malum : nimio ergo scientiae huius amore captus homo peccauit , proindeque curiositate , non superbia. Tandem nec desunt ex Patribus aliqui , de primo protoparentum peccato secus sentientes. Ambrosius siquidem in Lucam scribens (20) : peccatum illud gulæ dicit. Nam inquit : eo ordine diabolus Christum tentauit , quo primum hominem deuicit. Quare quoniam diabolus cibi appetitu Christum primo adorsus sit , eodem Adamum primo deuicisse consequitur. Augustinus autem primam hominis culpam , infidelitatem potius , quam superbiam fuisse significat vbi (21) verba Apostoli l. ad Timoth. ii. interpretans ait : « hanc seductionem

Dd 2

nadi

(20) In cap. iv. Lucae.

(21) Lib. xi. in Gen. cap. 41.

„adpellauit proprie Apostolus , per quam id , quod suadebatur , quum „falsum esset , verum esse putatum est , scilicet , quod Deus lignum „ideo tangere prohibuerit , quod sciebat , eos , si terigissent , velut „Deos futuros , tamquam eis diuinitatem inuidereret , qui eos homi- „nes fecerat .“ Ergo non ita probara censenda opinio illa de primo peccato parentum est , vt in oppositam partem declinare nefas sit.

Quid tamen argumentis huiuscmodi roboris insit , facili negotio dognoscetur. Ac primum quidem illico euanescit , si consulto in cul- pa primorum parentum distinguuntur ipsamet , quae et in omni peccato reperiuntur , adhaesio nempe inordinate ad bonum creatum et mutabile , et auersio a bono immutabili et increato ; quarum vna alteram consequitur , nec est vna ab alia separabilis. Itaque axauit re ipsa Eua , amavit Adamus propriam excellentiam ; suae cuique perfectiones placuerunt. At fuisse hic eorum actus vere innoeens , ac culpae omnis expers , nisi praeter diuinæ regulæ mensuram propriam illi excellentiam adpetiuerint : hinc insigniter decipiuntur , erantque , qui amorem excellentiae propriae , ac diuinæ regulæ con- temptum pro diversis peccatis habent ; quum eorum prior non aliunde quam e posteriori habeat vt vitiosus sit , atque ad superbiam ve- re pertineat.

Secundi quoque expedita est solutio , dummodo interior animi elatio ab exteriori inobedientia , seu vetiti fructus esu scite separe- tur ; exterior enim actus interiore sequitur , ab eoque fluit , vt a causa effectus. Nimius itaque vxoris amor absdubio in exteriores peccati actum , seu in ligni vetiti esum Adamum impulit ; tamen nimium amorem hunc animi interior elatio , seu propriae excellentiae appetitio praeluit , qua ad indulgendum amori vxoris duxit est , quadam et ipse experiendi cupiditate permotus. Egregie Augustinus scribens (21) : „si voluntas in amore superioris immutabilis boni . . . . stabilis permaneret , non inde ad sibi placendum auerteretur . . . . vt vel illa , Eua scilicet , verum crederet dixisse serpentem , vel iste , nempe Adam , Dei mandato vxoris praeponenter voluntatem .“ Causam ergo cur et Eua serpentem vera dixisse crediderit , et Adam Dei mandato mulieris praeposuerit voluntatem , auersionem a superiore immutabili bono fuisse , Augustinus docet . Quae vero et auer- sionis istius caussa vt sibi inordinate placeret vterque ? Propriae ex- cellentiae praeter diuinæ regulæ mensuram appetitio , qua Deo , po-

§i-

(21) Lib. II. de Gen. ad litt. cap. 24.

sitoque ab eo ordini subiici noluerunt , quod proprium superbiae est. Et hanc nos verbis Adami sese purgantis , et Dei eundem coarguentis intelligentiam damus. Inordinato ille vxoris amore pertractus ad diuinum violandum praeceptum : sed amorem istum , ipsamque pre- uaricationem tumor interior anteuertit , quo mens eius , mulieris au- ditis verbis inflata est.

Tertium diluit S. Thomas (22) sic Apostoli verba interpretando: „sed videtur esse dubium , quod dicitur , quod per inobedientiam „vniuersi peccatores constituti sunt multi , id est , omnes , qui ab eo „nascuntur secundum rationem seminalem : primum enim eius pec- „catum videtur fuisse superbia magis , quam inobedientia secundum „illud Eccle. x. Initium omnis peccati superbia. Sed dicendum est , „quod sicut ibidem dicitur , initium superbiae facit homines apo- „statare a Deo , quia scilicet prima pars superbiae consistit in hoc , „quod homo non vult subiici diuinis praeceptis , quod ad inobe- „dientiam pertinet : vnde primum hominis peccatum videtur fuisse „inobedientia , non secundum actum exteriorem , sed secundum in- „teriorum motum superbiae , quo voluit diuino praeceptio contraire. „Vnde eius inobedientiam Dominus arguit Gen. iii : quia audisti „vocabem uxoris tuae , et comedisti de ligno quod praecepseram tibi „ne comederes .“ et cetera.

Id ipsum luculentius declarat in Summa (23) , vbi ait : „quod „homo non obedierit diuino praecepto , non fuit propter se ab eo „volitum : quia hoc non posset contingere , nisi praeusposita in- „ordinatione voluntatis. Relinquitur ergo , quod voluerit propter alti- „quid aliud. Primum autem quod inordinate voluit , fuit propria ex- „cellentia : et ideo inobedientia in ea caussata fuit ex superbia : et „hoc est quod Augustinus dicit ad Orosium (in Dial. lxv. qq. q. iv.) „Homo elatus superbia suasioni serpentis obediens , praecepta Dei „contempsit .“

Ab ultimo facillimum foret nos expedire , ea inculcando quae initio capitis præmonebamus , nempe , in hoc protoparentum pecca- to , cum aliis plurimis , fuisse et deformitates gulæ , ac infidelitatis. Quod laudati Patres adstruere iure potuerunt. Placet nihilominus S. Thomae audire testimonium , quo locum a gula potissimum in cri- mine illo habitum declarat (24). Refert primo ea Geneseos verba , nem-

(22) Lect. iii. in cap. 5. Epist. ad Rom.

(23) Secunda Secundae, quæst. clxiii.

art. 1. ad 1.

(24) Ibidem ad 2.

nempe; vidit mulier quod lignum esset bonum ad vescendum , cert. additque : „non tamen ipsa bonitas et pulchritudo cibi fuit primum „motiuum ad peccandum , sed potius suasio serpentis , qui dixit : *ape-“rientur oculi vestri et eritis sicut Dii* , quod appetendo , super-“biā mulier incurrit. Et ideo peccatum gulæ deriuatum est ex „peccato superbiae.“ Faciunt quoque haec S. Thomae verba pro peccato infidelitatis.

Quodnam vero peccatum hoc superbiae , quo se posterosque omnes primi parentes in exitium perduxere? Communis Patrum sententia est , fallaci illos serpentis suasione ludificatos diuinam similitudinem adpetuisse ; quod et ipse Dominus Adamo postea exprobrauit , ironice ad eum dicens : *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Quam deinde similitudinem cum Deo appetierint , ex doctrina S. Thomae (25) resoluendum est. Duplicem S. Doctor adsignat similitudinem esse , *omnimodae aequiparantiae* vnam , *imitationis* alteram. At prima harum , quum obtineri nulla ratione ab ipso potuerit , nisi primum hominem a mente plene alienum fingamus , nec fingere vlo pacto possumus , diuinam illum similitudinem appetivis que perfectae aequalitatis dicitur. Ergo peccauit ille , quod similitudinem cum Deo habere praesumpserit , quae in imitatione sita est . Quid autem ? Nonne homo Deum imitari sancte , et religiose potest , imo et tenetur ? Fuisset profecta diuinæ imitationis amor ille sanctus , et ab omni prorsus culpa alienus , si ad diuinæ regulæ mensuram fuisse exactus ; fuit tamen e contrario vitiosus , et prauus quod in eo modus nullus habitus sit , neque vla seruata mensura.

Insuper adnotat S. Thomas , triple esse spirituale bonum , quod ex Deo homo in se ipso imitatione exprimere valet ; videlicet *naturae* , *cognitionis* , atque *operationis*. Primi autem parentes bonum illud naturae immoderate appetere neutquam potuerunt ; nam illud ab ipsa creatione habebant , a Deo communicatum , quandoquidem fecit Deus hominem ad *imaginem et similitudinem suam* , vt legitur in Genesi. Reliquum igitur est , vt in cognitionis bono , vel etiam operationis appetendo peccarint. Etenim cognitionis bonum nondum actu homo adeptus erat , sed ita fuerat a Deo institutus , vt gratiae adiutorio illud sibi comparare posset. Quoniam ergo serpentis fallaci suasione deceptus hoc expertiuit , quod est naturali virtute sibi determinare , quid sibi bonum esset , quidue similiter malum , vel so-

lo naturae lumine praenosse , quid sibi boni , aut mali carentrum; diuinam idcirco in vtroque similitudinem affectauit. Praeterea ; quum et in appetendo *operationis* bono modum excesserit ; et in hoc peccauit , *secundario* saltim , vt loquitur D. Thomas ; nam *principaliter* diabolus fuit , qui hoc modo peccauit. Vterque enim sibi propriæ beatitudinis auctor esse voluit , suisque viribus consequi felicitatem. Hinc tandem intelligimus , qua ratione Patrum nonnulli Adamo viatio tribuunt , quod diuinatatem rapere voluerit , Deoque aequiparatis eo scilicet , quod prepostere ille concupierit solo naturalis rationis lumine , et se , et inferiora omnia sibi subiecta regere , futura etiam suis viribus praenoscerere , atque operatione sua naturali beatitudinem sibi comparare : quae omnia solius Dei propria iure optime aestimantur.

## COROLLARIA.

Et haec quidem , quae de priorum parentum transgressione , et culpa diximus , hoc subinferre videntur , grauissima illos in Dei mandatum peccasse. Sed vocari in quæstionem iam iam illud conseruit , an nempe omnium grauissima illa culpa fuerit , omnium hactenus admissarum. Qua in re iudicium nostrum , vt et in ceteris quibuslibet , ad praeclaram S. Thomae doctrinam dirigimus. Atque illo docente (26) , duplicem culpaem grauitatem agnoscimus ; alias quae ex ipsa peccati specie , ceu , vt Schola loquitur , ex obiecto petitur , quae et principalior est , et peccato essentialior ; alteramque ex adiunctis , sive personæ , sive loci , temporis , cert. alisque circumstantiis aestimanda. Quod si ad ipsam speciem peccati oculos vertamus , nullus absque rationis iniuria , primorum parentum peccatum omnium grauissimum adfirmabit. Nullus siquidem non percipit , inordinato illo parentum appetitu , quo Dei similitudinem appetiueret , aliud grauissimum esse posse.

Ceterum si de accidentalis ea grauitate sermo instituatur , quae a personarum , et status conditione exiguntur , maxima profecto huius criminis grauitas adpareret. Ut enim recrissime Augustinus aiebat (27) : „magna fuit in peccando iniquitas , vbi tanta fuit non peccandi facilitas.“ Itaque perfectissima eorum status conditio maximam illorum culpaem grauitatem superaddidit. Vnde illud concluditur

primorum nimirum parentum culpm aliquia ratione grauissimam fuisse, non tamen absolute.

Hanc autem grauissima omnium poena consequuta est, mors videretur, aerumnae, morbi, innumeraque cuiusque generis mala, quae deinceps et ad posteros descendit. Fatemur equidem. Sed "magnitudo poenae, docet S. Thomas (28), quae consequuta est ad illud primum peccatum non correspondet ei secundum quantitatem propriae speciei, sed in quantum fuit primum: quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, qua subtracta, deordinata est tota natura humana."

Quis vero protoparentum grauius et in hoc peccauerit, vir, an mulier, paucis, nec forte inlucunde, resoluimus ex D. Thom. Vtriusque conditione spectata, indubium quin grauius a viro peccatum sit: nam erat ille multo muliere perfector. Si autem ipsum peccati genus consideretur, aequale illorum peccatum fuit, quum uterque inordinato appetitu deliquerit. Quam ob rem aiebat Augustinus (29): *mulier excusavit peccatum suum impari sexu, sed pari fastu.* Quoniam vero superbia diuersa in membra parti valet, si superbiae membrum designatur, quo peccauit uterque, grauius mulierem deliquesce decernimur. Primo quidem, quia maior fuit eius elatio, quam viri, ut pote quae verum habuit, quod serpens usaserat, utuisse scilicet Deum eum ligni, ne ad eius similitudinem peruenirent. Hinc, dum de ligno comedens, hanc similitudinem consequi voluit, eius superbia eo processit, ut eam vellet, Deo repugnante, obtinere. Contra Adamus, quod dixerat serpens, verum non creditit, neque inuitio Deo, Dei ipsis similitudinem consequi voluit, sed elatus est, ac peccauit, quod eandem suis viribus, praeter regulae diuinac modum, habere voluerit.

Secundo quoniam mulier non peccauit tantum, sed viro auxtrix et dux fuit peccati; peccauit proinde et in Deum, cui iniuriam intulit, et in proximum, cui exitio fuit.

Tertio quia viri culpa, quadam ratione imminentia est, quod nempe consenserit, dicente Augustino (30): "amicibili quadam bencovellentia, qua plerunque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse diuinae sententiae iustus exitus declarauit."

Pau-

(28) Vbi supra ad 2.

(29) Lib. II. de Gen. ad litt. cap. 35.

(30) Vbi supra cap. 24.

Paucula nihilominus huic doctrinae contrariantur. Sunt haec: ratum omnibus est, grauiorem eam culpam esse, quae scienter, quam sit quae per incitiam admittitur: etiam ipse Christus ait Lucae XII: "ille seruus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagiis, vapulabit paucis." Atqui Eta per ignorantiam, Adamus sciens volensc deliquit; scribit enim Apostolus I. ad Timoth. II: *Adam non est seductus: mulier autem seducta in praearuacione fuit:* grauius ergo Adami quam Etae culpa fuit. Similiter: Adamus melius operari debebat, eo quod vir erat. Ita Augustinus vbi ait (31): "si caput est vir, melius debet vivere, et precedere in omnibus bonis factis, maxime vxorem suam, ut imiter illa virum suum." Tandem: peccauit Adamus in Spiritum Sanctum; diuinam enim misericordiam, quum peccaret, consequi cogitauit, quod presumptioni tribuendum est: at peccata in Spiritum Sanctum ceteris quibuslibet grauiora sunt.

In his tamen nihil est, quod doctrinam mox traditam labefactare possit. Apostoli enim testimonium hoc sensu intelligendum est, ut mulieris seductionem, non quidem causam primi eius peccati fuisse adserat, sed consecutarium: nam interiore animi eius elationem consequita est: ideoque ignorantia eiusmodi consequens prorsus fuit, minime antecedens (sic loqui amant); quae ex S. Thomae doctrina non excusat, sed agrauat peccatum, quatenus ignorando in maiorem elationem erecta est.

Quod autem Adamus, quoniam vir, perfectius debuerit Etae vivere, meliusc operari, illud tantum suadet, peccatum scilicet illius, grauius Etae peccato fuisse secundum quid, eius videlicet perfectione, et conditione inspecta; vxor tamen grauius illo peccauit absolute; quemadmodum declaratum est.

Qui vero Adamum peccasse in Spiritum Sanctum dicat, hic peccati in Spiritum Sanctum notionem minus perspectam habere videbitur: neque enim, vt S. Thomas docet (32), quicumque diuinam misericordiam cogitans peccat, presumptionis, quae peccati in Spiritum Sanctum species est, reus erit continuo, sed diuinae misericordiae adeo confidit, ut diuinam contemnet iustitiam, ejusque timorem abilicit. An Adamus talis fuit? *Inexpertus*, ut loquitur Tom. II.

Ee

Au-

(31) Ibidem:

(32) Secunda Secundae, quæst. xiv. art. 2.

Augustinus (33), creditit, illud peccatum esse veniale, id est de facili remisibile, subiicit S. Thomas (34).

Magister vero Sententiarum vbi tradit (35): *Adamum minus peccasse, quia sub spe veniae peccauit, quod ad praeumptionem perrinere videtur, sic; interpret. S. Thoma (36), intelligendus est, »Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae ad »praeumptionem pertinet« (quae est peccatum in Spiritum Sanctum) »et hoc non diminuit, sed auget peccatum: peccare autem »sub spe veniae quandoque percipienda cum proposito abstinendi »a peccato; et poenitendi de peccato, hoc non est praeumptionio; »nis: sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere vo- »luntatem minus firmatam ad peccandum.« Num vero Adamus ad peccatum et veniae spem propositum in peccato persistendi adiecerit; propertereaque vere in Spiritum Sanctum peccauerit, expresso S. Thomas non dicit, constar tamen ex aliis ipsius testimoniis, aliud fuisse ei de Adami peccato iudicium: nam probat saepe saepius non fuisse peccatum omnium grauissimum, neque vsque ad diuinæ iustitiae contemptum processisse; quin et quodammodo fuisse immunitum, quod in ligni esum consenserit amicabili quadam in vxorem bencoualentia.*

#### CAPVT XIV.

*Praeposteræ quorundam opiniones aduersus propositionem secundam confutantur argumentorum solutione.*

Mosaicam de doemonis tentatione, ac colloquio cum muliere narrationem serpentis ope, Poëtae praepromis fabulis conspurcarunt: Thalmidas deinde deliramentis. Pudet tamen eiusmodi referre, ac refutare. Philonem Iudeum, et Origenem hic potissimum nominare debuimus, quorum opinionis momenta expendere Scriptores solent. Hi deserta litteræ veritate ad allegorias plerumque abeunt, totique in iis sunt; ita sane, vt serpentis nomine, aut appetitum sensituum interius percellentem, aut suggestionem diaboli nullo visibili corpore peractam designari existent. Hoc ipso vito Thomas de Vio Cardinalis Caietanus laborans, integrum hanc primorum parentum tentationis seriem figuratam esse contendit; neque vero et

na-

(33) II. sup. Gen. ad litt.

(34) Secunda Secundæ quest. CLXIII,  
art. 4, ad 3.

(35) I. Sentent. dist. 22.

(36) Secunda Secundæ quest. xxi.  
art. 2. ad 3.

naturali serpente diabolum usum, ut Euam falleret, nec vera, quaquam per aurem possent excipi, cum Eua per serpentem miscuisse colloquia; sed serpentis nomine diabolum ipsum venire, easque quas memorat Moses, adloquitiones interiores fuisse hostis insinuationes, eisdem plane similes quibus animos hominum occulite subire solet, vt perdat. Nonnulli quoque serpentis nomine significari tradunt linguan animalis a serpente diuersi. Rabbi autem Aben-Esra ait e contrario, in ea protoparentum tentatione, ac deceptione nullas fuisse diaboli partes, sed totas vero, naturalique serpenti adscribit, qui loquendi facultate, quam a natura habebat, abutens, praecepsus fuit tanti facinoris machinator et impulsor. Ophitae praeterea, quibus Marcionitas, ac Manichæi adsentuntur, serpentem illum spiritum quendam Deo meliorem fuisse inquiunt, cui insuper gratias referunt maximas, quod per ipsum hominibus cibus, per cibum visus, per vim sum mulieris cognitio, per hanc nuptiae, per nuptias vero innumerabona accesserint mundo.

Verum dilucide omnia isthaec confutata sunt, et ipsa rei gestae simplici narratione, et alii quoque, quae in secundæ propositionis confirmationem adducebamus. Nam quod ad Ophitarum deliramenta spectat, quorum posset expressa confutatio desiderari, res etiam confecta est: etenim ipsa recitasse, pro codem ac refutasse habetur. Nuptiae siquidem ante serpentis suggestionem instituta sunt, vnde et in innocenciam statu futuram generis humani agnoscimus propagationem. Nec vero credendum est, bonum spiritum auctorem mortis, et inobedientiae suasorem fuisse. Aperti sunt autem prægallatorum oculi post culpam ad intuendum quod nouum in eorum corpore acciderat. Augustinum horum omnium doctorem habemus, Marcionitas, ac Ophitas refellentem (1): »quomodo, inquit, ad se adductis animalibus terrestribus et volatilibus omnibus, Adam clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non fecerat, discernere autem nisi videntio non posset? Quomodo ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea?* Postremo si vsque adeo quisquam fuerit contentiosus; vt haec cum dicat non cernendo, sed palpando potuisse cognoscere, quid dicturus est, quod ibi legitur mulier lignum, de quo fuerat cibum sumpta, prohibitus vidisse, quod esset speciosum oculis ad videndum? Erant itaque nudi, et non

Ee 2

»con-

(1) Lib. 1. de Nuptiis ad Val. Comit. cap. 5.

„confundebantur, non quia non videbant, sed quia nihil vnde confundentesur in membris sensrant quae videbant.“

Superest itaque unum, videlicet, momenta illa eneruare, quibus historiac huius oppugnatores praecepit suas opiniones fulciri gloriabantur. Et a serpente naturali Euam fuisse tentatam Rabbi Aben-Esra ex eo arguit, quod serpenti dixit Dominus ut habetur Gen. iii. *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus viuae tuae.* At Satanus nec graditur super ventre, nec vescitur puluere: non ergo serpens erat Satanus, sed verum animal.

Verum hoc eodem argumento vtuntur alii, ut probent, serpentem illum non nisi Satanam fuisse. Aiant enim: serpenti, qui Euam decipit datum illud in poenam est, ut ventre super terram gradiatur, sine pedibus: hoc naturali ac vero serpenti a natura est inditum, non poena: igitur serpens tentator mulieris verus non fuit.

Pergunt praeterea probare, verum non fuisse serpente his argumentis: I: quoniam inuerisimile prouersus est cum reptili rationis experie Deum fuisse loquutum, quo modo cum homine loqueretur. II: quoniam serpens ille seductor in Gen. *callidus* vocatur, in versione LXX. Interpretum *plurimum prudens*: a Hieronymo *nequam*, et *versipellis*, atque in plurimis Latinis codicibus *sapientissimus*, ut Augustinus animaduertit (2). 3 Haec vero in stupidum ac irrationale animal quoniam pacto possunt quadrare? III: quoniam non est maior ratio adsignanda, cur Satanus serpenti corpus ingressus fuerit, non alterius animantis. IV: quoniam animo complecti nemo poterit, Euam cum serpente familiariter fuisse adloquutam, neque tamen eius aspectu territat, nec demirata.

Caietanus est qui haec argumenta plurimum vrget, ut se iure merito ad adipicendam allegorian permotum praedicet. Qua tamen fronte id praesumserit, ipsius sodales grauissimis animaduersionibus testantur: Canum adpello, testem locupletissimum, Catharinum, aliquos. Nec enim mea interest aliud, quam leuissimis ipsis conjecturis innixum declarare; priu tamen si Iudei hominis arma frangam.

Ad argumentationem igitur Aben-Esrae respondendum: ad vtrumque serpente, Diabolum nempe, et verum animal maledictionem illam pertinere: nam et graditur Diabolus supra pectus, et terram comedit, quoniam inuidentia, dolis, et superbia homines circum-

uc-

(2) Lib. xi super Gen. cap. 2.

uenit, et variis agit cupiditatibus, ac quos voluptuosos agnoscit, quasi deuorat et depascitur. Graditur quoque serpens ac puluere vescitur: et hoc quidem sensu verba Genesios Theodoreus exponit (3): „maledictionem, inquit, Deus proprie ei intulit, qui malum perpetravit, qui et serpens adpellatus est, . . . sed et ipsum animal quoque ad hominum utilitatem maledictionem recepit. Itaque videntes serpente reperire, et voluntari super terram, maledictionis antiquae recordarum, et discimus quanta mala peccatum accersat non solum his qui illud admittunt, sed et illis qui subseruent. „At ille quidem serpens nullum inde damnum accepit, quem ita gradi natus sit; hanc enim habet a natura motus speciem, nihil autem naturale molestum esse videtur: homo vero multum inde commodi consequitur.“ Haec Theodoreus. Quibus illorum sententia plurimum roboratur, qui in ea maledictione sensum mysticum primario a Deo intentum volunt. Ad Diabolum itaque referendum, qui et conestiosis, et peccati auctor fuit. Hanc et nos probamus non tamen omnibus numeris absolutam habemus; sed in eo ab ea recedendum duximus, quod nullum ex maledictione ea damnum serpenti illatum dicat. Nec enim est, cur nos terreat quod sciamus, naturam serpentis ab initio fuisse supra pectus gradi. Nam opinamur cum aliis, quod serpenti prius naturale erat, nec graue proinde, nec molestum, diuina accidente maledictione, ei in molestiam venisse, non secus ac priorum parentum nuditas, quae nulla eos ante culpam erubescientis suffundebat, post crimen adeo grauis ac molesta facta est, ut ad eam tegendam ex foliis ficus sibi statim perizomata consuerint.

Sunt autem recentiores nonnulli, quibus alia placet opinio, scilicet, serpentem ita primum fuisse formatum, ut rectus utique incederet, neque terra, sed aliorum animalium instar, herba, aliisque terrae frugibus vesceretur, nec nisi post Euae deceptionem damnatum, ut reperet et terra vesceretur. Non audemus opinionem hanc tamquam improbatam traducere, potissimum ob Magni Basillii auctoeritatem, qua illam adscritores sui iam iam praemunierunt: ast, dato osculo, longe ab illa recedimus. Ac de primo arguento diximus multa, quibus et Aben-Esrae et Caietani quoque, ex opposito arguentum nodos soluimus.

Hinc ad cetera ipsius Caietani argumenta soluenda ordine progre-

(3) Interrog. xxxiv. in Gen.

gredimur. Atque illud , quod inuerosimile illi videntur , adeo verosimile iudicamus , vt nihil verosimilius ; quandoquidem nouimus certo , Deum rebus etiam sensu carentibus nutu et voce imperare , velut Dominum , et summum , omnipotestemque creaturarum auctorem. Addimus tamen , ad spiritum seductorem Deum principaliter verba direxisse. Nec proinde cur hoc fecerit serpens interrogatus fuit ; quia non ipse in natura sua , et voluntate fecerat , sed diabolus de illo , et per illum , et in illo fuerat operatus , Augustino docente (4).

Quod sequitur , hanc habet solutionem ex Augustino ipso sumtam (5) , et a S. Thoma aptamatam (6) : »serpens dictus est prudenterissimus vel calidissimus propter astuciam diaboli , qui in illo agebat dolum ; sicut dicitur prudens , vel astuta lingua , quam prudens vel astutus mouet ad aliquid prudenter , vel astute suadendum.«

Sed et hanc patitur expositionem : commendari ibi serpentem prudentiae et astutiae laude , quod animal sit prae aliis quibuscumque ad malum proprium vitandum dexteritate praeditum ; quemadmodum et formica ob industram , et columba laudator ob simplicitatem.

Illiud insuper quod subsequitur facile expeditu est. Etenim adsumit diabolus serpentis corpus , non alterius bestiae , quoniam illud adsumere permisus est , et non aliud ; vt per naturam serpentis significaretur generi hominum omnis diabolicae tentationis similitudo , inquit Augustinus (7). Quae sane similitudo in eo sita videtur quod per potentias infirmiores spiritualiter serpento , easdemque suasiones sibilo demulcendo venenum sensim infert.

Vltimam deinde leuioris ponderis est , quam vt Caietanum morire potuerit. Nam in felicissimo innocentiae statu , quaeque animantia ad hominis nutum seruiebant , nihilque proinde molestiae , aut danni inferebant. Scribit enim Chrysostomus (8) : »hinc collige , ab initio nullam bestiarum virum vel mulierem terruisse , sed dominium et subjectionem agnouisse , et sicut nunc domestica animalia , ita et fera , et immansuera tunc mitia fuisse.« Id quod de serpente speciatim Damascenus dicit (9) : »quin serpens quoque homini familiaris erat , vt prae ceteris animalibus ad eum accederet , blandisque motibus quasi cum ipso conuersaretur.« Quid ergo sibi ab animali domestico , et familiari tunc Eva metueret ?

Cur

(4) Lib. xi. de Gen. ad litt. cap. 16.

(7) Lib. xi. de Gen. ad litt. cap. 16.

(5) Lib. viii. de Gen. ad litt. cap. 28.

(8) Hom. xvi. in Genesim.

(6) Secunda Secundae quaest. CLXV.

(9) Lib. ii. de fide Orthod. cap. 10. art. 2.

Cur autem non sit admirata Eva , quod serpentem audiret loquentem , his verbis S. Thomas declarat (10) : »quod mulier putauit serpentem hoc accepisse loquendi officium , non per naturam , sed aliqua supernaturali operatione.« Incepit ergo Iosephus , aiens (11) : »Deus serpenti vocem ademit , iratus ob malitiam , qua ernga Adamum est usus , venenunque linguae eius indidit , et honestem eorum declarauit.« Quasi serpens ante suggestionem animal natura sua loquax fuerit.

## COROLLARIUM.

Serpentis itaque veri opere vsum peccati suasorem Satanam vt primos fallerent parentes abunde , ni fallor , demonstratum est. Cuius autem generis ille fuerit , nonnulli otio ac litteris abutentes inquirere solent. Ex his sunt qui sentiunt fuisse Basiliscum , alii Scythalem , quae praefulgidam praefert varietatem coloris , alii serpentem quandam cuius vultus foemineo similis est. Sed inter somnia ista haec esse adnumeranda aptius sentiunt eruditii. Quorum proinde iudicio inhaerentes , hoc vnum ex Mosaica narratione deductum dicere audemus ; verum scilicet , naturemque illum serpentem fuisse ; cuius vero generis fuerit , et perpetram quaeri , et nullo etiam consilio determinari.

Incompartam similiter arboris vetiti speciem iudicamus. Hanc triticum fuisse septem spicarum in Alkorano refertur. Ficum illam fuisse existimat non pauci , propterea quod Gen. iii. legitur : consueverunt folia ficius , et fecerunt sibi perizomata. Siquidem putant ex eadem arbore fructum et folia protoparentes tulisse. Ast haec quam falsa sunt et infirma ! Nam quod lignum vere esset , et non tritici species , Augustino Doctore , dubitandum non est (12). Ficum praeterea non fuisse interpres nostri ex eo colligunt , quod inuenit risimile omnino sit , arborem illam iterum contingere unde maximam sibi dimanasse calamitatem sentiebant. Ergo labili nimium fundamento nititur sententia ista. Quid tandem ? Melius est de occultis dubitatibus , quam litigare de incertis ; vt nos Augustinus admonet (13).

CA.

(10) Prima Parte , quaest. xciv. art. (12) Lib. viii. de Gen. ad litt. cap. 6.

4. ad 2.

(13) Ibidem cap. 5.

(11) Lib. i. Antiquit. Iudaic. cap. 2.

## CAPVT XV.

Poenas memorat primis hominibus ob inobedientiam inficias. Eorumdem resipiscentiam ac salutem sustinet.

Transgressionem priorum hominum innumerae propemodum calamitates subsequatae sunt. Qui corundem culpam primus retulit Moses, singulas adcurate persequutus est, scribens: «mulieri . . . dixit, «(Deus) multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore «parties filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. «Adae vero dixit: . . . maledicta terra in opere tuo: in labōribus «comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos ger- «minabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui ves- «ceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumtus es, quia «puluis es, et in puluerem reueteris. . . . Fecit quoque Dominus «Deus Adae, et vxori eius tunicas pellicreas, et induit eos. . . . «Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso volupptatis, ut opera- «retur terram de qua sumtus est: eiecitque Adam, et collocauit «ante paradisum volupptatis Cherubim, et flammum gladium, at- «que versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.»

Quam Mosis narrationem exponens S. Thomas, et conuenienter poenas illas in Scripturis determinatas declarat, vt pote a summo illo, aquissimoque Iudice constitutas, qui omnia in mensura, numero et pondere dispositi; et eas insuper mirifice exponit (1). Nos interim quoniam temporis augusti maxime premur, quatuor praeincipias tantum hic commemorabimus; nempe corporis mortem, ignorantiam, concupiscentiam, atque nuditatis pudorem. Nam et de his quoque ex instituto loqui Pelagianorum petulantia nos cogit. Or- dine itaque seruato, de prima sic pronuntiamus.

Corporis mors peccati poena est.

Ita Sacrae litterae. Legimus enim Gen. ii. Dominum adloquentem esse Adamum his verbis: *de ligno autem scientiae boni et malii ne comedas: in quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus quidem omnium consensione, Hebraeorum scilicet, Graeco-

rum,

(1) Secunda Secundae quest. exciv. art. 2.

rum, Latinorumque illud probatur, Adamum nempe, sese peccando necessitate moriendo obstinuisse, quum antea posset non mori. Etenim Hebrei legunt, *moriendo morieris*, id est, erit tibi mors ineuitabilis. Symachus et Hieronymus, *mortalis eris*, Varabulus, *morti eris obnoxius*: Pagninus, Benedictus Arias Montanus, antiquior Itala, *moriendo morieris*; Fagius, *tunc incipes esse mortalis*; Graeci tandem vniuersim, *eris mortalis*. Hanc vero mortem, etsi pro animae et corporis morte Augustinus rectissime explicet (2); ad corporis principaliter esse referendam multa euincunt. Primo quidem Deus hominem puniens, eidem dixit: *terra es, et in terram ibis: quod nisi de morte corporis quomodo intelligi possit ignoro, aiebat Augustinus (3).* Deinde verbis huiusmodi poemam Deus comminatur; mors autem animae culpa ipsa est, qua a Dō homo recedit. Non ergo de sola animae morte accipienda illa sunt, nisi id adseramus, sensum hunc corum esse; *quam peccabis, peccabis*; qui certe sa- tis aptus non est.

Demonstrant etiam dogma istud alia Scripturarum loca. Sap. i. dicitur: *Deus mortem non fecit.* Et cap. ii. *quoniam creavit Deus hominem inexterminabilem, et ad imigenem similitudinis suae fecit illum; inuidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Deinde ad Rom. vii. scribit Paulus: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Quae sententia adeo est clara, et aperta, ut non expositore, sed lectore tantum opus habeat, teste Augustino (4). Item in i. ad Corinth. idem Paulus inquit: *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

His sacrarum litterarum testimonis adderemus definitiones Synodi Palestinae, Carthaginensis V. et Tridentinae, si cum hominibus nobis res esset, qui iustum Conciliorum, Patrumque habent rationem. Sed congregatur cum Pelagianis aliisque eiusdem fursus, quos eiusmodi monumenta nihil mouent.

Etiam ignorantia illa et difficultas quae hominem a natuitate possidet, poena peccati est.

Augustini auctoritatem haec adsertio nacta est; pro qua saepe Tom. II. FF. sac-

(2) Lib. XIII. de Civit. Dei cap. 22. (4) Ibidem cap. 4.

(3) Lib. I. de peccat. merit. cap. 3.

saepius contra Pelagianos debellauit, vicitque (5). Eius argumenta sunt: sanat Christi gratia vulnera ob peccatum inficta, et ignorantia minuitur, veritate magis, magisque lucente: at a Christi gratia est superna mentis illuminatio: ergo ignorantia, quae per illuminationem istam dispellitur, naturae vulnus est, poenaque primi peccati. Rursum: ignorare malum est, cui tribuenda quae a nescientibus perpetrantur mala, et quod non percipient ea, quae sunt spiritus Dei: at malum nullum conditio naturae est, sed peccati poena: est igitur supplicium quoddam naturae ob prius crimen designatum. His Augustinianis argumentis accedit ratio: etenim Adamus sic a Deo constitutus est, vt potestatem, qua bestiis terrae et ceteris animantibus dominaretur, haberet: quibus insuper nomen dedit, quod singulorum naturae cognitionem praeseruit. Ergo dubium quod perfecte nouerat ante hominum impositionem. Atqui nunc hominem adiuuenire licet nullum, qui animalium, vel domesticorum proprietates possit dignoscere, easque simplici vocabulo designare, nisi longo studio, ac experimentis illas tandem didicerit: sunt ergo animae vera poena, ex peccato descendens, ignorantia et difficultas quam experitur.

Concupiscentia insuper poena peccati est: itemque pudor nuditatis.

Vtrumque testantur Scripturae. Primum quidem Iohannes i. Epist. ad Parthos scribens: «omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia eius.» Apostolus quoque ad Rom. vii. dicens: «video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captiuantem me in lege peccati, quae est in membris meis.» Et ad Galatas v: «caro enim concupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem; haec enim sibi iniucic aduersantur, vt non quaecumque vulnus illa faciat.» Iacobus tandem cap. i. ait: «vnumquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde de concupiscentia cum conceperit parit peccatum.» Ex quibus Scripturarum testimoniis haec Augustinus efformat argumenta. Primum:

con-

(5) In lib. de Dono Perseu. cap. xi. aliisque in locis passim.  
in i. de peccat. merit. cap. 36.

concupiscentia illa, quam Iohannes affirmat a patre non esse, sed ex mundo, et cui resistendum admonet, poena absdubio peccati est, naturaeque vulnus, non institutum. Etenim quae a Deo munera accepimus, custodire ac diligere debemus, neque naturam, quae bona est, odio habere possumus. Legatur contra Iulianum disputans (6). Secundum: ex Apostolo liquet, concupiscentiam cum castitate pugnare: vnum autem bonum cum alio bono minime pugnat: sed castitatem bonam esse sacre litterae nos docent, quae ad eam conservandam hortantur: ergo mala est concupiscentia carnis, naturaeque virtutum ex peccato ortum. Tertium: constat ex laudatis Scripturarum testimonii, concupiscentiam nos ad peccatum inclinare: at hoc ipso natura sui mala ea est, et poena est: non ergo est conditio naturae, sed supplicium. «Quis autem ita sit imprudens, atque impudens, ita procax, pertinax, perutinax, ita postremo insanus ac demens, qui cum peccata mala esse fateatur, negat esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi aduersus eam concupiscentem spiritu peccata concipere, ac parere non sinatur?» Ut loquitur Augustinus (7).

Secundum etiam, scilicet, nuditatis pudorem poenam similiter esse peccati sacrae litterae docent. Genesios enim ii. de Adamo et Eua antequam laberentur, scriptum est: erat autem vterque nudus, et non erubescabant. Post transgressionem vero aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent, se esse nudos, consuerunt foliaceous, et fecerunt sibi perizomata, vt haberet cap. iii. Sed non sunt aperti illorum oculi, quasi caeci antea fuerint; neque vt videnter solumento interiore peccati maculam, ad quam tegendam fucus perizomata extra rem fuissent: aperti igitur sunt, vt nuditatis pudore adficerentur, atque erubescerent. Legito Augustinum (8).

Quas vero tunicas pellicias, praeter perizomata ab eisdem consuta, Deum primis hominibus addidisse historia narrat, Origenes, allegoris perpetuo deditus, ipsum mortale corpus ob praeauriculari nem prateritam morte conficiendum fuisse putat. Nobis tamen certum est ex communi interpretatione, vere Adamo et Euae tunicas e pellibus consutas Deum fecisse; quandoquidem sine causa a literali historiarum sensu recedere non licet. De cetero autem ad Adami poenitentiam, ac aeternam sortem venientes id adserimus.

(6) Lib. xvii. cap. 13.  
(7) Lib. vi. adu. Iul.

(8) Lib. xiv. de Ciu. Dei cap. 17.

Adamum admissi criminis vere poenituit; atque aeternam salutem consequitus est.

Constat primo ex cap. x. Sap. vbi dicitur: „haec (Sapientia) illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum cum solus esset creatus custodiuuit. Et eduxit illum a delicto suo, et dedidit illi virtutem continendi omnia.“ Deinde Traditio Patrum facuet. Plurima enim argumenta producunt Irenaeus (9), Tertullianus (10), Eusebius (11), Athenasius (12), Hilarius (13), Gregorius Nazianzenus (14), et alii. E quibus vnum Augustinum adducimus loquentem, a quo Theologi omnes arma sumserunt. Ait enim (15): „et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod cum ibidem soluerit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inutiliter credidisse credendum est, unde cumque hoc traditum sit; etiam si Canonistarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas; quamquam illud quod in libro Sapientiae scriptum est: haec illum qui primus factus est, Patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuuit, et eduxit illum a delicto suo, et dedidit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quam pro illo alio intellectu facere videtur.“

Addendum: in Litanis quibus Clerus S. Mariae Maioris Romae vtitur, hoc legi: *Sancte Adam, ora pro nobis.* Ergo siue Scripturarum auctoritas consulatur, siue traditio Patrum, siue Ecclesiae sententia, Adamum et vero resipuisse, et salutem suam aeternam consequatum esse, liquido constat, atque firmatur. Hoc et de Eua dictum volumus.

## CAPVT XVI.

*Dogmata firmata, et haereticorum contradictiorum relatione, et argumentorum, quibus illa impetrare solent, confutatione amplius firmantur.*

In ennumerandis ergo haereticis, qui veritatibus superiori capite propagnatis contraire sus deque tentarunt, locum praecipuum Pela-

(9) In iii. adu. Haer. cap. 34.

(10) Tertull. ii. contr. Marc. cap. 25.

(11) Lib. iv. Hist. Eccl. cap. 19.

(12) Lib. de Pass. et Cruc. Dom.

(13) In Marth. Canone VIII.

(14) Orat. xviii. de laudibus Cypriani.

(15) Epist. ad Euod. xxix. cap. 3.

gianis damus. Etenim nullus dubitat quam immane bellum ipsi excitarint. Nec solam vnam, aliamque ex his poenis, quae protoparentibus sunt inflictæ, veras esse peccati poenas negarunt; sed de omnibus omnino id praedicare ausi sunt. Itaque neque mortem corporis, neque ignorantiam et difficultatem veri dignoscendi preeferendique, nec concupiscentiam rebellem, pudoremque nuditatis poenas criminis dicendas, sed naturæ ipsius vitium, passim blasphemati sunt, vt naturæ eas omnes proclamant. Verum nec solis Pelagianis id in mentem, calamumque subiit; Sociniani siquidem eis sunt adiuncti, quorum columen, acutus ille Faustus cum Puccio Florentino contentiosum habuit congressum anno 1577. Contendebat autem ille, ita hominem natura mortalem fuisse, vt natura ipsa morti subiectus fuerit, nec in creatione ipsa tali gratia donatus, qua potius set perpetuo a morte liberari. Cuius quidem adserit prima pars, dogmati catholico optime conciliari poterat, et a competitori admitti; neque enim conditio naturæ censetur primi hominis immortalitas, sed gratiae beneficium, vii superius a nobis cum communi catholicorum consensione fuit demonstratum. Vnde quod haereticus ille magno verborum adparatu, magna quoque ingenii alacritate inculcatabat frequentissime, corpus nempe primi hominis animale, dissoluble, et mortale natura sua esse vitro citroque ipsi dandum erat. At sic mortale exitisse, vt etiam morti subiectus fuerit, antequam Adamus crimen perpetraret, et vt Socinus ait, diuina gratia in creatione fuisse desitutum, nec conseruationi eius vitæ fuisse prouisum, antiquos Pelagianorum error est, quem profligare curabimus.

Atque ad nuditatis pudorem quod adinet, post veteres Pelagianos Ioannes Phereponus ille est, qui nouissime negavit; nimis tam insulse, atque impudenter; vt mox videbimus.

Iam vero postquam hos commemorauimus, de illis loquendum venit, qui in Adami resipescientiam debacchati sunt. Omnia prius fuit Tatianus Sirus, vt Irenaeus scribit (1), et eiusdem Irenaci verbo Eusebius (2). Quæ sic in Graecis leguntur: *Adami autem saluti ex ipso ingenio suo contradictionem faciens.* Tatianum subsequuti sunt Encratitæ sic nuncupati quod nuptias non admitterent: vnde iidem cum Marcionitis, vt recte ibidem admirat Eusebius. Quibus si Seuerianos adiungimus neutiquam a vero aberramus: nam dicti sic a Seuero quodam Tatiani discipulo sunt, de quo

Ni-

(1) Lib. i. cap. 38.

(2) Vbi supra.